



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 33. Ragotsii rebellio in Hungaria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](#)

vigesima ejusdem Mensis per Hollan- Sæc. XVII.  
A.C. 1703.  
diam & Angliam, quorum classibus  
deferendus esset, in Lusitaniam præ-  
misit, ipso Rege Petro II. Cæsareas  
partes jamjam amplexato. Appulerat  
bonis avibus Carolus Ulyssipone die  
nona Martii anno sequenti, quo Lusi-  
tani cæso Ronguillo Castilliam usque  
progressi fusis quinques mille Gallo-  
Hispanis quinque urbes interceperunt,  
& Anglo-Batava classis, quæ Archi-  
thalasso de Roock, Carolum deporta-  
verat, Gribaltaram arcem natura &  
arte munitissimam quarta obsidionis die  
quarta Augusti expugnavit.

### §. XXXIII.

#### *Ragotii rebellio in Hungaria.*

Leopoldi Cæsaris rebus oppido in *Theatr. Eu-*  
*sesta* erat Hungarorum rebellio, *rop. t. 16.*  
quæ hoc anno in apertas flamas e- *pag. 166.*  
rumpens, ab Austriæ finibus per Hun- *Wagner*  
gariam ad Valachiæ & Moldaviæ limi- *Hist. Leo-*  
tes perniciem, excidiumque propaga-  
vit: Illius Auctores erant Albertus  
Kisius, Etseus, Pappus, Bigeus plu-  
resque alii perditæ vitæ homines, qui  
vitam universam in sceleribus, animum  
in latrociniis & sanguine, mortemque  
in gehenna degentes, in denso quodam  
saltu primum concitandæ rebellionis

H 5

con-

Sæc. XVII. consilium cepere: Per opportunam Re-  
A.C. 1703. gnum turbandi facultatem maleferiatis  
suppeditabat, Cæsarearum legionum  
ex Hungaria in Italiam Bavariamque  
deductio: nec anxiæ inquisitionis erat,  
conjunctionis Principem feligere: Ra-  
gotsius enim e captivitate in Poloniam  
profugus seditionis telam, quam nuper  
adorsus erat, unacum Berczenio Co-  
mite retexere intentus, Pappum &  
Bigeum in Poloniam missos veluti Le-  
gatos summo jubilo excepit, proxime  
in Hungariam subsecuturus. Interim  
Galli per Poloniam trecentos partim  
Tribunos, partim pyrobolarios atque  
Architectos militares Ragotsio submi-  
fere, rebelles pariter prope Mongatsi-  
num & Cassovium magno numero con-  
fluxere, Gallicoque auro & vi quam-  
plurimos ad sua signa pertraxere, Ra-  
gotsio propediem venturo obviam ituri:  
Verum Karolyus Comes ex fidis Comi-  
tatibus milites conscribit, ac seditionis  
inopinato adorsus, centum septuaginta  
interficit, captisque tribus vexillis ce-  
teros in sylvam dispellit. Exeunte  
Mense Junio Ragotsius e Polonia in  
Hungariam delatus, mox cum duobus  
millibus ad Mongatsinum agrum gra-  
fari cœpit, a Montecuculo tamen pene  
captus cum suis ad Sylvam retrocedere  
compulsus est: Nihilominus auto re-  
bellium

bellum numero die prima Augusti Cal- Sæc. XVII.  
viam, Somliam, Relliniam, aliasque ur- A. C. 1703.  
bes & arces ditione cepit: felixque hic  
armorum successus universam pene  
Hungariam Superiorem in perditionem  
nefandam pertraxit; cuius exempli  
labe etiam Transylvani ad defectionem  
incitati fuere. Ad calamitatis cumu-  
lum accesserat, quod etiam Karolius,  
Cfackius & Beckerius Comites antea  
fidelissimi ad rebellium signa transirent,  
& Berczenius inferiorem quoque Hun-  
gariam in rebellionis societatem per-  
traxisset, ac Leutsoviam, montanas-  
que urbes sibi subjecisset. Obsiterat  
quidem Schlickius Comes Passavio e-  
vocatus, ceperat quoque Levam urbem  
cum ingenti præda, armorumque ap-  
paratu: ast ad Veterosolum male mul-  
ctatus, Berczenio Austricæ ac Moraviæ  
limites fæde depopulandos relinquere  
coactus est. Atrocius autem rebellio  
in Hungaria cis Danubiana desæviit,  
perduelles enim glaciati Danubii bene-  
ficio ad ipsa etiam Viennæ suburbia  
grassabantur, pluribusque urbibus ca-  
ptis, incensisque stragem terroremque  
late circumferebant: Rapidissimum re-  
bellionis cursum stiterat Heisterus jam  
multis antea victoriis clarus, qui Ka-  
rolyo ad Albam regalem cæso seditio-  
nos a Moraviæ, Austricæque limitibus  
depu-

Sæc. XVII. depulit, domitisque Cis - Danubianis  
A.C. 1703. rebelles ad Jaurinum ingenti clade pro-  
trivit: Tandem de ineunda pace agitur,  
proponuntur utrinque conditiones, at  
præter quindecim dierum inducias im-  
petratum nihil: rursus igitur in intima  
patriæ viscera grassari cæptum: Præ-  
primis vero Heislerus perduellibus ad  
Tyrnaviam magna clade affectis citi-  
mam Hungariam denuo ad officium  
redegit, exarmatisque Cis - Danubia-  
nis perduellum conatus haud parum  
fregit. In Transylvania vero rebelles  
ex ipsis suis cladibus renasci videban-  
tur, quos tamen Rabutinius prope  
Claudiopolin fudit, fugavitque, ur-  
bemque mænium parte nudavit. Post-  
quam vero Ragotsius cum exercitu  
quinquaginta ferme millium rursus in  
Transylvaniam penetraverat, captis  
pluribus urbibus, earumque præsidia-  
riis contra datam fidem trucidatis, in  
Sclavoniam irrupti, ubique inhumanæ  
cruelitatis vestigia relinquens. Te-  
nuit hoc bellum seu potius miserrimi  
Regni Hungarici devastatio integrum  
omnino septennium, non sine maximo  
Religionis, Domusque Austriacæ de-  
trimento.

§. XXXIV.